



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

**Geismar, Justus Moritz von
Coloniæ Agrippinæ, 1691**

Ad tit. 4. desponsa duorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

rochus iniquè suam præsentiam negat; vel in contemptum proprii Parochi.

Ad num. 25. in fine adde. Ubi Tridentinum expulsis veris Pastoribus servari nequit, tenet etiam coram Prædicante, imò etiam sine illo initum matrimonium. Sic & in Civitatibus, ubi permixti Hæretici Catholicis v. g. Augustæ, tenebunt etiam matrimonia sine legitimo Pastore, seu coram Prædicante celebrata; quia non est existimandum, Pontificum voluntatem etiam de his sensisse, ob mala plurima, quæ sequerentur.

Urum Sacerdos Cathol. assistere possit matrimoniis hæreticorum, quos in sua Parochia habet; Respondetur posse, quia tales non tenentur vitare, nec facit irreverentiam Sacramento, quia ipse non est minister, sed tantum testis. *Laym. de matrim. cap. 4. n. 8.*

AD TIT. IV.

De Sponsa duorum.

A*D num. 3. adde.* Dum dicitur ante copulam non transferri dominium corporis, intellige, nondum actualiter tradi ipsum corpus; nam aliàs à tempore matrimonii revera conjunx habet ante copulam dominium in corpus.

Contrahens matrimonium vivente primâ uxore, relicta secundâ cum priore cohabitare debet, & publicè in Ecclesia pœnitentiam facere, *Gonz. ad cap. accepisti 2. h. t.*

* * *

AD TIT. V.

De conditionibus apposis.

A*D num. 2. ad cap. fin. h. t.* Observa ex D. Thoma. Conjugii fidem, perpetuitatem, prolis generationem & educationem duobus modis considerari posse: Vel secundum actum seu executionem, & sic ad substantiam matrimonii non spectat; vel secundum radicem seu principium, quod est mutua obligatio servandi fidem societatemque perpetuam in ordine ad prolis generationem, & hæc est substantia matrimonii, si hoc accipiatur pro mutua permanente obligatione seu conjugio. Sin verò matrimonium accipiatur pro actuali contractu, essentia ejus consistit in cõsensu, dictæ autem obligationes, fides, perpetuitas & proles cõsentur velut proprietates & effectus permanentes.

Observa quoque *valide* contrahi matrimonium *cum intentione* adulterandi; à conjugè sine justa causa recedendi, prolis generationem impediendi. Sed *invalidè* si hæc in pactum deducantur, quæ substantiali obligationi *status* matrimonialis directè adversantur. Sic & valet matrimonium, si quis id contrahat *cum intentione* nunquam utendi eo, non etiam si conditio, sive pactum hoc apponatur.

Dices. Essentia matrimonii consistit in mutuo dominio unius in alterius corpus ad generationis usum, cum tali autem dominio potest consistere obligatio non utendi corpore ad hunc finem. Respondetur, licet in quibusdam